



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Cur mali non statim morte rollantur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Cap. XLVI. *Immatura aliquos innocentes, sed iusta morte obire.* 519

& ipsi Dauidi filius natus vitam amittens, orbitatem intulit, vt frequenti capite dicemus, & supra iam attigimus.

Noli ergo offendi iudicijs diuinis, quisquis vides, vel iuuenem mori, vel innocentem. *Placita enim erat DEO anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in precordijs talia, iudicant, quod ignorant. Imperita enim & simplex multitudo, solum in defuncto iuvene intuetur ætatem, non autem moriendi rationem. Hinc contra DEVM quiritatur, hinc plorat, hinc capillos lacerat. Et quidem tum maximè, cùm talis iuuenis maximè fuit pius; ait enim, hinc apparere, quàm inutile sit studium pietatis. Neque vulgus tantùm eiusmodi pulsatur tentatione, ipsum David, Ieremiam, Habacuc, & Iob talis cogitatio pulsauit. Omnem scrupulum tollit, qui diuinam prouidentiam credit. Tam sapiens illius est amor, vt ab insipientibus crudelitas putetur. Nescit DEVM, qui iustum nescit. Hæc est fides recta, credere, quoniam gratia DEI, & misericordia est in Sanctos eius, & respectus super electos eius. Non ergo crudelitas est martyrijs exponere, aut morti tradere innocentes, sed gratia DEI & misericordia. Videri potest S. Ambrosius de bono mortis, Victor Vitensis, & Saluianus, qui in hoc genere disputationis & pij extiterunt, & disert.*

At cur innocentes tolluntur, cùm impurissimi viuant; & illi triumphant, qui nec digni sunt, vt à terra sustineantur? Si irascitur DEVS, statim debuit vindicare; & pro merito quemq; punire, ait nonnemo apud Lactantium 1. de ira DEI c. 20. cui ipse respondet. *At enim, si ita faceres (vt statim puniret DEVS) nemo superesses. Nullus est enim, qui nihil peccet; & multa sunt, qua ad peccandum irritent; atas, violentia, egestas, occasio, primum. Adcò subjecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus; vt, nisi huic necessitati DEVS parceret, nimium fortasse pauci uiuerent. Propter hanc causam patientissimus est, & iram suam continet. Nam quia perfecta est in eo virtus, necesse est patientiam quoq; eius esse perfectam; qua & ipsa virtus est. Quàm multi ex peccatoribus iusti posterius effecti sunt, ex malis boni, ex improbis continentes? Quàm multi in primas aetate turpes, & omnium iudicio damnati, postmodum tamen laudabi-*

T t t 2 l 3

VIII.
Sapi. 4. 14.

Psal. 72. 2.
Ierem. 12.
Habac. 1. 13.
Iob. 21. 76

Sap. 4. 15.

IX.

306 Cap. XLVI. *Immatura aliquos innocentes, sed iusta morte obire, les extiterunt? quod utiq, non fieret, si omne peccatum poena sequeretur. Et infra. In tanta igitur impietate hominum, tantisq, peccatis id assequitur patientia DEI, ut se ipsi homines, damnatis vita prioris erroribus, corrigant. Accedit, quod impij iustos exercent, virtutemque illorum reddant splendidiorem. Quod si duo in vno lecto sint, quorum vnus innocens moriatur, alter nocens in vita*

Ibid. vers. 16.

relinquatur, hoc ipsum non fit sine causa. Nempe quia condemnat iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti. Ita est, videmus pessimos in longam, saepe viuere senectutem; sed vel ipsa maturata mors iusti eos damnat, indicatque mercedem in hac vita recipere. Condemnat item, quia accusat, tamquam, qui causa sunt, cur iustus è vita

Apoc. 6. 9.

hac euocetur, aut eijciatur. Certè animæ interfectorum propter verbum DEI, vindictam clamant. Et mali quò diutius superfunt, eò sibi iram DEI grauiorem thesaurizant; qui quia sic viuere, bonum iudicant, malum censent mori. Itaq; videbunt

Sapi. 4. 17.

finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo DEVS, & quare munierit illum Dominus. Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit. qui non solùm non intellexerunt, sed

Ep. Iud. v. 10.

etiam, quæ non intellexerunt, blasphemarunt spernendo, atq; condemnando, dum submissa reuerentia, DEI consilium, non, vt par erat, sunt venerati.

X.

Laudent ergo DEVM etiam in innocentum morte, qui DEVM credunt; neque Angelo suo negligentiam impingant, si eos à morbis, si à vulneribus, si quando à casibus repentinis, si à morte non defendit. Potest illud facere, sicut Israëlitas, in columna, defendit à Pharaone; sicut Tobiam à pisce, sicut à leonibus Danielelem; Iuditham ab Holoferne; tres pueros in ipso incendio fornacis, & sanè quotidie millies id facit; sed quando contrarium prodest magis, quando Christus ait: *Sinite paruulos, per mortem, venire ad me, talium enim est regnum caelorum,* tum DEI cursum non impediunt, neque manum iniiciunt diuinæ gubernationi; immò tum maximè suum officium exequentur. Vt enim Angeli illius officium præcipuum fuit, non solùm, *vt custodiret in via, sed etiam, vt introduceret in locum, quem Israëlitis Deus præpararat, hoc est, in terram sanctam; ita nostri*

Exod. 23.